JUS NATURAE

RELIQUORUM, QUAE COLIMUS, OMNIUM
PERPETUUM COMITEM
SISTIT

PROGRAMMATE

PRAELECTIONIBUS
SEMESTRI BRUMALI
HABENDIS
PRAEMISSO

GODOFREDUS SELLIUS
J. V. D. EJUSDEMQUE P. P.

GOTTINGAE
APUD ABRAMUM VANDENHOECK,
ACADEMIAE TYPOHRAPHUM.

IN omni Vita Civili, in quocunque actionum, quas imaginari licet, complexu maximum utique vulgo censetur in opere ipso compendium, quando omnium generalis quaedam haberi potest regula, communis, qui in universum quadret modulus.

Vtinam in scientiis, cum quibus nostram nos vitam agimus, pari ubivis gaudere datum foret commodo! Utinam constantem aliquam & perpetuam ut in universum omnium, sic singularum nominatim novisse liceret normam ac universalem veluti clavem!

De admirabili *Juris scientia* dispiciendum hic nobis est, *COMMILITONES honoratissimi*, scrutandumque diligenter, num & haec nostra referri possit in numerum earum, quas tanti prae aliis commodi suamet natura capaces ipsa efficit. Hic si unquam alibi, primo mox intuitu facile dubitaveris reperiri posse ratiotinandi universalem aliquam normam, quando, nimirum, tot almae jurisprudentiae, celebratas novimus formas, tot sibi invicem contradistinctos habitus, ut ad determinandum definiendumque unum aliquem mutua duorum vel plurium oppositio sufficere fere videatur. Sed ecce fatale ut plurimum & hoc saltem casu injustum, nec nisi ex cognitionis defectu oriundum, de contrarietate partium almae scientiae nostrae praejudicium! quod valde admodum, magisque forte, quam quamcunque aliam, complexam ipsam efficiant, objectorum non minus, quam principiorum secundariorum diversitates, omnem plane ob id, qui forte servari possit, nexum singulorum universalem, communem omnium modulum, quis est qui

proterve negandum sibi sumserit? *Asserenti*, ajunt *incumbit probatio*: & istud est, quod ostendendum, quod demonstrandum, quod Jurisprudentiae vindicandum haec sibi plagula sumit.

Inter universa, quae in hunc usque diem Jura colimus, primum omnium ac veluti originarium, quod veneramur *Jus Naturae* est, seculis omnibus, quod *Tullius* vocat, ante natum, justi omnis & aequi, quod esse novimus, fons atque origo: maxime hodie, quando nova plane beneficio praestantissimorum ingeniorum adornata facie comtemplare id ipsum datur, non amplius Veterana illa, vel Romana vel alia, angustam nimis sui speciem largiente. Id ipsum reliquorum omnium constantem esse atque indissolubilem comitem, breviter nunc in singulis monstrandum est.

A *Jure divino* principium esto: ab isto videlicet, cujus conditor Ipse Deus, qua Naturae Auctor celebratur. Et de isthoc dicendum utique est, ipsum non adeo comitem agnoscere *Jus Naturae*, quam potius plane cum eo coincidere. Atqui *Naturalia Jura*, *quae apud omnes gentes peraeque observantur, divina quadam providentia dicuntur constituta*; & ab *Apostolo Naturae Jus* appellari *Jus Divinum* legimus: *Naturae rationem legem divinam Cicero* vocat & pulchre *Hierocles* in *Aur. Carm. Pythagorae*: *Idem est rationi parere atque Deo. Natura enim, quae rationis est particeps, cum splendorem suum suamque lucem sortita est, ea ipsa amplectitur, quae divina lex statuit, nec discrepat a Dei sententia animus, qui secundum Deum se habet.* Non aeque res liquet circa *Jus Divinum Forense*, quod vocant & *Ceremoniale*; quippe quod ex speciali legislatoris intentione, universalitatem suam perdit, de quo, ratione initi foederis particularis, *Deus studio sic non fecisse gentibus aliis* dicitur *Psalm* 147. Verumtamen & hujus juris si non norma, comes saltem *Naturae Jus* universale illud salutandum erit. Quicquid enim, ex non dispari fonte, cum altero, a quo nunquam deflectit, diverso licet tramite, procedit; istud utique, si non sequi illud, pari tamen passu ambulare cum ipso dicendum est. Idem & de *Novo*, *Christi Foedere* valere, res ipsa loquitur; & perinde est, sive tanquam novum Legislato-

rem

rem, five quod malunt alii, tanquam Reformatorem Legis Veteris, Ipsum consideres. Quae a *Juris Naturae* Via, ut ipsi contrarientur abscedant, Filius Dei justisse nusquam legitur; quae ejusdem Juris regulas transcendentia praecepisse, seu, juxta alios, suasisse magis deprehenditur, ad eminentiorem *Naturali* illa justitiae gradum, qua Pietas Christiana est, referenda erunt: & ita rem expedire, de *juramentis*, *mutuo*, *angariis*, *pallio*, *alapa* intelligentissimis commentatoribus visum est.

De *Jure Gentium* jam institutum persequi ordo jubet; quod ipsum tantum abest, ut *Juris Naturae* respuere censeri possit consortium, ut potius non minus, quam *Divinum* illud *Morale* idem plane cum *Jure Naturae* Summis Philosophis sit habitum. Et quid est, quod, ut annihilatum prorsus irent *Juris Gentium* essentiam, juxta & existentiam, Doctores haut infimi ordinis permovit, nisi omnimoda, quam deprehendere ipsius sibi visi sunt, cum *Jure Naturae* convenientia? Inutilis credebatur Entium praeter necessitatem & vitanda hic multiplicatio: determinato semel ac admisso *Jure Naturae*, *Gentium* illud, quod omnino coincidere cum hoc videbatur delendum, plane non-ens declarandum. In partes hic vocare ex Philosophis vel JCtis, quos possem, quam plurimos ne justo prolixior sim, lubens supersedeo. At hi sunt, quos nimium favere Thesi nostrae non immerito dixeris. Conferenda jam manus cum illis est, qui aliam prorsus, eamque e diametro contrariam priori, *Juris Gentium* naturam statuunt, qui idem esse *Jus Gentium*, cum *Jure*, non *Naturali* sed *Civili*, persuadere sibi patiuntur. Subscriberem libenter & huic sententiae, neque ex ipsa disruptum iri *Juris Gentium* cum *Naturali* Conjugium metuerem; modo constantes sibimet ipsis viderem ejus propugnatores. Verum plurimis, si non omnibus idem hic evenire animadverto, quod vulgo notatur in *Cicerone*, qui satis vexato loco illo 3 *offic.* hujus ipsius opinionis auctor est qui tamen paulo ante, *eodem offic.* suadente quippe diversa ratiocinandi occasione, *Jus Gentium* sumere pro *Jure Naturae* non dubitaverat: quam etiam mentem suam satis prodit *Tuscul. Quaest.* locus iste: *Omni in re consensio omnium gentium lex naturae putanda est, & omnium con-*

ſenſus naturae vox eſt. Minime vero omnium pro aſſociandis confundendiſve *Juris Gentium Civilisque* ideis vel facere vel ſufficere videtur, quod vulgo adſertur, argumentum, fontem *Juris Gentium* eſſe in mero Gentium arbitrio. Neque enim merum arbitrium, mera voluntas, qua talia, efficere *JusCivile* poterunt, & ſi vel maxime poſſent, ſiquidem condendo *Juri Gentium* ſuppetentia haberi velint, qualia ſint arbitria, quales Voluntates, determinandum praeliminariter poſtularetur. Et ecce ad gentes moratiores, ut maxime naturale ſic promptisſimum hic Doctorum, quo tendunt, refugium; quando, nimirum, vel ipſam *Juris Gentium* definitionem talem condunt, quod ſit *iſtud, quod naturalis ratio jam exculta, inter moratiores tantum gentes conſtituit*. Verum hisce, ſi quid video, ſeſe extricandi ſtudium magis produnt, quam quod remedium ipſum, quod ſufficiens ſit, largiantur. Quid enim ubi moratiores illae, atque cultae ſatis Gentes deficere non raro a *Jure Gentium*: quid, ubi exacte interdum vivere ſecundum ipſius placita barbari deprehenduntur, quae, ut apud Euripidem legimus:

-----regulis aequi boni
Suffulta rudibus pariter & doctis patent?

ſcilicet hic velim, ut magis quam quidem hic faciunt determinate pronuntient, quid & quomodo naturalis ratio exculta dicatur conſtituere; & agnoſcerent facile, quod ſponte ſatis innuunt, hujus unico & fallere neſcio modulo dignoſci demum poſſe, quid ratio dici poſſit naturalis, quid ſatis exculta, quid vere conſtituere; quae tandem moratiores appellari gentes mereantur. Ratione fori, obiectorumque ſingularitate diſtinctum *Jus Gentium* a reliquis largimur; at, quoad juſtitiae formam *Naturae Jus*, quod cum ratione naturali coincidit, debita ſua univerſitatis laude privare & hic non ultra tentemus! *Lex vera atque princeps apta ad jubendum & vetandum eſt recta ratio* Verbis *Tullii* II. de LL.

Neque aliter ſtatuendum eſſe autumo circa *Leges*, quae vulgo vocan-

cantur, *honesti & decori* quaeque communiter ad *Jus Gentium* appendicis titulo veniunt. Nempe, quando, *quod non vetat lex*, *hoc fieri vetare pudor* dicitur, qui & unde pudor vetet, optarem, simul monstraretur: fueritne in hisce *Juris Naturalis* secreta quaedam cnncurrentia, pudoris istius, quem, legislatorem hic statuunt, quam maxime fons & origo? juxta *poëtae* Illud:

Stat contra ratio, & secretam gannit in aurem
ne liceat facere id, quod quis vitiabit agendo.

Antequam ad *Jura positiva* toti dilabamur, de *Jure Consuetudinario*, res paucis expedienda est. Isthoc, ni fallor, respectu originis ex natura *Juris Gentium* suae partem mutuatur, partem ex *Juris Civilis* indole, quatenus, nempe, tacitus superioris consensus *ex consuetudine quasi legem* facere concipitur. *L.* 32. & 33 *D. de LL.* Qua ratione itaque *Consuetudines* ac unde introducantur, introductae cur serventur, consensusque auctoritate ab Imperante roborentur, sciscitandum duntaxat & attente perpendendum est. Ad naturalem rationem unanimiter hic semper conclamatum novimus, & hanc sibi auctorem, hanc constantem sibi comitem, si subsistere velit, *Consuetudo* agnoscat recesse est. *Quod non ratione introductum sed errore primum, dein consuetudine obtentum est, in aliis similibus non obtinet.* Verba sunt *Celsi*, *L.* 39. *D. de LL.* adde *L.* 14 *D. eod.* & *L.* 2. *C. quae sit longa consuetudo*, ubi *Consuetudinis ususque longaevi* dicitur *non vilis auctoritas verum non usque adeo sui valitura momento, ut aut rationem vincat aut legem.* Quid autem erit demum ratio illa, eaque naturalis, ad quam formata *Consuetudo* requiritur? immo quid erit aliud si non adaeqatus *Juris Naturalis* interpres; modulusque ad quem quid recte, quid perverse usu eveniat, infallibiliter exigitur. *Tullius, Quaest. Tusc.* 27. scribit: *nunquam naturam mos vincet; est enim semper invicta.* Ab ipsa isthac deflectere interdum *Consuetudines* abusus facit, quippe quarum vaga utplurimum occasio, neque dederminata satis ratio, excessui haud raro vel defectui, obnoxias

ipsas

efficit. *Senecam* audiamus, *Epist.* 123. *Inter causas*, ait *malorum nostrorum est*, *quod ad exempla vivimus*, *nec ratione componimur sed consuetudine.* Quare melior semper utiliorque *Consuetudine positiva lex* habebitur, ut quae, quid justum sit, atque conveniens rationi, & statuere accuratius, & quo servetur, curare poterit felicius.

De *hac ipsa* jam ex professo differendum nobis incumbit. Characterem *Juris Civilis* talem nobis subministrat *Ulpianus L.* 6. *D. de J. & J.* quod *neque in totum a Jure Naturae vel Gentium recedat*, *neque per omnia ei serviat*, *sed cum aliquid addimus vel detrahimus Juri communi*, *Jus civile Efficiamus.* Minime inconcinnam agnoscimus nominalem hancce *JCti.* definitionem, neque, thesi nostrae, licet primo intuitu videatur, contrariam, modo cum grano salis accipiendam. Quam enim hic velut latentem deprehendere nonnulli sibi videntur mutuam Juris *Naturalis* & *Civilis* oppositionem, ego utique nisi praecipitanter judicare velim, tam aperte non video. *Juris Civilis* aliam prorsus esse, quam quae *Juris naturalis* est, indolem, nemo facile negaverit; & essentia utriusque satis ipsa loquitur. Suae sunt cuivis societati civili legum suarum rationes politicae, quae ulteriores istas casuum determinationes (nam aliter *Civilem Legem* non concipimus) in singulis exposcunt, specialioresque, quam quas ob universalitatem, qua gloriatur, *Naturae Jus* langiri poterit. Principia, Politicas gentium ingredientia & efficientia qui rimari aliquantisper didicit, ei utique, difficile haud quaquam erit concipere qua ratione ex iis enasci possint, immo debeant, *Leges Civiles* saltem aliquae, quae in Foro *Juris Naturalis*, vel plane sint incognitae, vel cum ipso apparenter aut revera collidentes. Quod mactationi parentum, quod liberorum expositioni, quod furtis patrocinari potuerint, de *Legibus Civilibus* unquam tu praesumseris? & tales nihilominus exstitisse, tales, non alias ex gentium quae isthaec statuerunt, Politicis emanasse novimus, absque multo negotio facile concipimus. Nimium dura haec sunt, & primariis *Juris Naturalis* capitibus contradicentia, neque idcirco consideranda tanquam ex obstinatione contra *Jus Naturae* directo statuta, sed magis velut per exceptionem

ptionem ab ipſo, dictantibus rationibus politicis, admiſſa. Quod in hiſce ob contrarietatis evidentiam manifeſtum fit, idem in aliis, quae a *Juris Naturalis* praeceptis recedere magis, quam contrariari ipſis, dici poſſunt pari ſe modo habere, par, quae utrinque militat ratio ſuadet, & hoc reſpectu in omni *Jure poſitivo* verum eſt, quod *L.* 51. § 52 *D. ad Li Aquil.* legitur, *multa in jure contra rationem diſputandi, pro utilitate communi recepta eſſe.* In omnibus, quae huc referri quodammodo poterunt, tantum ſaltim certum eſt; nihil *Jurium Civilium* ſtatui uſquam poſſe, quod, ſi cum *Jure Naturali* non plane coincidat, quatenus & cur ab ipſo divertat, determinnri non poſſit: ſatis aperto, ut mihi videtur indicio, eſſe & huic hic Juri competentem quandam & univerſalem menſuram, ad quam velut ad amuſſim *Legum* utcunque *poſitivarum* quotusquisque exigatur juſtitiae gradus. Loquatur iterum hic *Cicero*, 1. *de Legib. Nos legem bonam a mala, nulla alia niſi naturali norma, dividere poſſumus. Nec ſolum jus & injuria a natura dijudicantur, ſed omnino omnia honeſta & turpia.* Sit itaque: a *Jure Naturae*, quod fert *Vlpiani* definitio, interdum recedat, *Jus Civile*, quod ab hoc nunquam recedat illud, quod quorſumcunque vergens id ipſum comitetur, agnoviſſe hic nobis ſuffecerit. *Natura in omnibus efficaciſſima*, ita jam olim *Epictetus*, ad *ſua decreta etiam nolentem & ſuſpirantem trahit*; Et apud *Senecam*, ita jam exclamans legitur, *Theſeus: Onimium potens natura quam te colimus inviti quoque!* Indifferentem, qui velint, antecedenter ad legem ſibi imaginentur actum *Lege Civili* determinandum: nos quo minus iis aſſentiamur, adaequata prohibet *Juris Naturalis* quam perſpeximus, univerſalitas, quae entium juridicorum, ne dicam moralium nullum, quod indifferens ſit, admittere patiens eſt, atque hic ſemper verum eſt illud *Gaji L.* 8 *D. de Cap. min. Civilis ratio naturalia jura corrumpere non poteſt.* Quod circa condendas noviter leges, quantum ſatis eſt, deduximus; iſtud idem, veluti tacita confeſſione, ſe prodit in legibus abrogatis, quae eo, quod injuſtae ſunt, abſque quod nova lege tollantur, ſibimet ipſis quaſi immoriuntur, & in oblivionem cedunt: prout de *Draconis* legibus memoratum

B reli-

reliquit *Aulus Gellius*, *Noct. Attic. Lib. II. cap. ult. cum Draconis leges impendio acerbiores viderentur, ideo non decreto jussuve, sed tacito, illiterato que Atheniensium consensu obliterata sunt.* Ne quis hic objiciat, quod non ignoramus, ob mutatum reipublice statum communiter in desuetudinem *Leges* abire; namque & id novimus, in tali Casu suadente status mutatione, novae plaerumque *Leges*, abire in locum veterum aboliendarum arrogari. De istis nominatim hic nobis sermo est, quae suam sponte auctoritatem perdunt; & hoc plerumque accidit, quando iustitiam naturalem sui non fovere comitem deprehenduntur. Sed & multo sunt foro *Juris Civilis* subjecta quidem, at *Iure Civili* plane non, vel non satis determinata, in quibus ad universalem *Juris Naturae* normam, quum nequeat aliter, directo recurritur. In hisce legislator sibi vel judex, quantum velit *Civilis* videatur, nisi *Juris Naturalis* ingrediatur viam, ad casum vix quadrans quid fuerit decisurus. Valet hic semper illud *Senecae*, *de vita beata C.* 3. *A natura non aberrare, & ad illius legem exemplumque formari, sapientia est.*

Eorum, quae generatim de *Jure Civili* huc usque adduximus, nihil est, quod non, ut ad singulare, quodvis, sic nominatim ad *Jus Romanum* optime quadret. In singulis fere legum istarum paginis quot sunt & quanta rationis *Juris Naturalis*, vel maxime habitae documenta? tot utique, ut vel nimia quibusdam visa fuerit Imperatoris in allegandis legum suarum rationibus, plerumque naturalibus, sollicitudo. *Iustinianus scholasticis argumentis legum Romanarum Majestatem labefacit, & contra morem majorum, legum ferendarum causas quasi suadere non jubere vellet, legibus subjecit*, ita *Bodinus* queritur, *VI. de Republ.* Nos contra tanto semper excellentius Jus unumquodque civile praedicabimus, quanto id ipsum, cum *Iure Naturali* magis convenire deprehendisse, quanto convenientiam istam laudasse totius cum ratione licuerit.. Non foret ea, quae nunc est, penes omnes fere gentes moratiores *Romani Iuris* auctoritas, nisi positivorum, quae novimus omnium *Naturali Iuri* quod revera est, proximum crederetur. *Deum elegisse Romanos ut per eos justitia sua orbi terrarum luceret*, & *splenderet*,

ret, Zonaras censet, atque *Jus Romanorum rationem scriptam*, appellatam *Thuano* legimus.

At enim vero ubi ad praxin ventum est, in ista tamen exulare *Jus Naturæ* dixeris, namque *lex licet dura sit, tamen scripta est. L.* 12 §. *D. qui & a quib. manum*; & ad stricte exequendum *Civile Jus* creari Judices novimus. Verum & hic suam *Jus Nat.* jurisdictionem in omnibus servare facit v. g. in *Romano* Praetorianae, quae ubivis habetur, aequitatis ratio, nimium & iniquum saepe Juris rigorem mitigare solitae: quemadmodum de omni jure positivo experimur, aequitatis naturalis in applicatione perpetuum habere respectuum non minus quam in interpretatione, de qua Vulgatum est *JCtorum* illud: *Cum de mente ex verbis non constat interpretem esse rationem naturalem.* Et alterum illud, quod vulgo dicunt: *Perinde esse legem quis pro se habeat, an naturalem rationem.* Vtrinque hic, ut optimam, sic frequentatam maxime colimus *Lucani* regulam.

------Servare modum finemque tenere
Naturamque sequi

Nihil hic novi erit circa *Jus Feudale*: praeterquam enim, quod sub *Juris Civilis* complexu comprehenditur, quum insuper in benevolentia & gratitudine sita sint *Feudalis* disciplinae fundamenta, tanto sibi minus comitem repudiare *Jus Naturae* poterit.

Jus Canonicum Juris Naturalis velle abnuere consortium, nemo facile dixerit, sive id ipsum consideres tanquam quatenus coincidens cum *Jure Divino*, sive tanquam cum *Jure Civili* pari passu ambulans, nominatimque *Civilis Juris*, quod multi dicunt, *Simiam*, adde quod ea, quam Canonibus praestari observamus obedientia minus metu poenae, quam justitiae naturalis sensu quodam ac amore recti animata postuletur.

In *Jure Publico*, tum in Vniversum omni, quum speciatim *Romano-Germanico*, reliquisque, quae vel existunt, vel nasci fingive pos-

ſunt *Jurium* ſpeciebus, parem ubivis eſſe *Juris Naturalis* auctoritatem, aeque arctum ſingulorum cum hoc conſortium demonſtrare hic, ſi programmatis limites excedere ultra velimus, facile. In illis quae horum ſunt fundamenta atque in quae reſolvuntur, velut principia, id ipſum monſtraſſe hic nobis ſuffecerit, de reliquis usque dum ad amuſſim examinare ſingula vacat, ob annalogiam non aliter praeſumſiſſe. *Juſtitiae in omni Republica otio & negotio* palmam deberi, *Macrobius* monet in *ſomn*: *Scip.* & in omnibus hic verum eſt, quod 1 *Offic.* legitur apud *Tullium Naturam ducem ſi ſequimur, nunquam aberrabimus.*

Iſtud quidem maxime Commilitones *ſuaviſſimi* in praelectionibus meis praeſtitiſſe cordi mihi erit, quo tam laudatum *Juris Naturalis* cum reliquis omnibus conſortium magis ubivis magisque, palam manifeſtetur atque in univerſum agnoſcatur, quanti ad perficiendam ſcientiam noſtram ſit admiciniculi, quantumque ejusdem, ut cum *Prudentie* loquar,

-------colluminet omnes
Diffuſo ſplendore locos.

De *Jure Belli & Pacis* Libros, quos reliquit *Juris Naturalis* Reſtaurator Magnus *Hugo Grotius*, lectionum mearum duces ſelegi. In exponendis *Inſtitutionibus Juris Romani* itemque *Pandectis* modo dictorum haud immemor, continuo verſabor. *Hiſtoriam Iuris & Antiquitates Romanas* tradam ad ductum Celeb. *Heineccii.*

Ininium horaque lectionum, quae ob abſentiam, multamque itineris moram determinare certa usquedum non licet, ſpeticaliori annunnunciatione Vobis, Cives *Ornatiſſimi*, innoteſcent. Dabam Trajecti ad Rhenum, die 20 Septembris. MDCCXXXV.